DE PARTICULARUM COMPARATIVARUM USU APUD TERENTIUM.

SCRIPSIT

ESAIAS LALIN

PHIL. DOCTOR.

NORRCOPIÆ

TYPIS EXSCRIPSIT CONSORTIUM ACTOR. DIURN. NORRCOP.

MDCCCXCIV.

Comœdias Terenti quo magis legeram, eo magis adducebar, ut res latinæ syntaxeos dignas, in quibus pernoscendis opera quam maxima consumeretur, ex iis erui posse crederem. Primum in scriptis ejus tam priscum loquendi usum sæpe inveniebam, ut multæ ejus locutiones ad eas, quas Plautus ejusque æquales adhibebant, proxime accedere viderentur. Tum orationem ejus multis in rebus tam novam, tam puram esse intelligebam, ut cum ea, quæ temporibus Ciceronis in usu erat, jure comparari posset, quam laudem ei veteres Romanos omnium consensu tribuisse ex eo apparet, quod jam a Cæsare Terentius *›puri sermonis amator›* [1]) laudatus est. Quamobrem non inutile fore putabam, si qualis certa quædam res latinæ syntaxeos apud Terentium esset, diligentius investigassem.

De conjunctionum comparativarum usu Terentiano scripsi. Fortasse dixerit quispiam hanc rem tam parvam, tam parvi momenti esse, ut non satis digna esse videatur, de qua copiosius agatur. Ad quod primum respondeo rem illam, quamvis primo aspectu non ita magni laboris esse videretur, tamen quum in singulis ejus partibus perscrutandis versarer, satis multis laborare difficultatibus me reperisse, quas quantum potui vincere conatus sum. Tum nullam fere rem tam parvi momenti esse putabam, ut non ex ea, si accuratius et diligentius pertractata esset, quædam quamvis parva utilitas capi posse videretur. Accedit quod de hac re, quantum scio, nihil est antea scriptum. Nam quæ de ea re Holtze [2]) scripsit, aut nulla sunt aut tam pauca, ut quum ad rem investigandam transirem, eam quasi infectam atque integram denuo tractandam intellexerim. Quamquam quid multa loquor, quasi de ea re scribere non liceat? Scripsit tamen de harum conjunctionum usu Plautino Fuhrmann [3]). Quare quum de hac re apud Plautum scribere licuisset, cur eandem rem in comœdiis Terenti perscrutari non item liceret, equidem videre non poteram. Quæ quum ita essent, satis causæ esse credebam, cur opus, quod mihi proposuissem, ad finem perducerem.

In quo opusculo conscribendo quam rationem secutus sim, nunc pauca dicam. Primum qui dissertationem qualis mea esset conscribere vellent, quæ in singulis rebus latinæ syntaxeos pertractandis versaretur ob eamque causam certis quibusdam atque iis angustissimis terminis esset circumscripta, iis quidem quid in singulis exemplis cum usitata dicendi ratione consentiret, quid ab ea abhorreret, multo accuratius et diligentius exquirendum esse

---

[1]) C. Svetoni Tranqvilli quæ supersunt omnia. Recensuit C. L. Roth, Leipzig 1871, pag. 294.
[2]) Holtze, Syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium, vol. 1—2, Leipzig 1861—62.
[3]) C. Fuhrmann, De particularum comparativarum usu Plautino, Greifswald 1869.

quam qui majorem quandam rem ideoque latius patentem investigarent quum consentaneum esse videretur, omnia exempla, quæ quidem ad rem propositam pertinerent, quæcunque inveni attuli neque ullum nisi invitus atque inscius præterii. Quod quum fecissem, quamquam non poterat fieri quin exempla, de quibus dicere non multum interesse videretur, sæpe afferrentur ideoque non nihil timebam ne qui meam legerent dissertationem, exemplis enumerandis justo plus defatigarem, tamen e magna illa exemplorum copia nonnulla quidem, quamvis pauca essent, quæ majoris momenti ac ponderis essent, erui posse sperabam, quod si mihi contigerit, operam quam in harum particularum usu pernoscendo consumpsi, me non frustra navasse judicabo. Deinde quum in comœdiis Terenti exempla, quæ magnis laborarent difficultatibus, plura quam quis putaret invenirem, in iis explicandis præstantissimas interpretationes doctissimorom virorum, quas sæpe perlegeram, mihi adhibendas esse censebam atque ex iis maximam me cepisse utilitatem hoc potissimum loco non negabo. Quibus interpretationibus mirum quantum adjutus quæ in iis utilia reperirem quum in usum meum convertissem, factum est, ut interpretationes illas in opusculo meo sæpe afferrem. Ac ne cui forte hoc mirabile esse videretur, ita mihi faciendum putavi, quia me non eum esse existimabam, qui exempla melius quam illi interpretari auderem. Quocirca me jure vituperari non posse credebam, quod præstantissimas illorum interpretationes potius quam meas afferebam. Quorum interpretatorum libri suo loco afferentur.

Jam vero quomodo exempla in ordines classesque quam optime redigerem quum mecum cogitarem, aliis locis alia fundamenta ac principia divisionis mihi adhibenda esse reperiebam. Primum omnium exempla ita digerenda censebam, ut quibus particulis singulæ enunciationes efferrentur viderem, quamobrem singulas particulas, quales sunt *quam*, *atque*, *quantum*, *(quod)*, *ut*, *(prœut*, *utut*, *utcunque)*, *quasi*, *tamquam*, in singulis capitibus tractavi. Deinde exempla, quorum in enunciatione secundaria indicativus legebatur, quamquam ex usitatis regulis, quæ sunt de consecutione temporum, non satis commode disponi posse intelligebam, tamen in iis enumerandis ratio temporum non prorsus negligenda erat. Nam quamquam in ejusmodi exemplis connexus, qui inter enunciationes primarias et secundarias intercedebat, alius esse videbatur atque in exemplis, quorum in relativo membro conjunctivus erat, tamen qua ratione enunciationes illæ inter se cohærerent atque conjungerentur, utrum eadem an in alio membro alia tempora adhiberentur, non nihil interesse putabam cognoscere. Præsertim ea exempla mihi videbantur digna quæ afferrentur, quorum in utroque membro idem tempus legebatur, quo usu actionem utriusque membri non solum eodem tempore fieri, sed etiam ejusdem momenti ac ponderis esse indicari solet [1]). Quæ quum

---

[1]) Enunciationes, quarum in utroque membro eadem tempora inveniuntur, Lattmann et Müller in duo genera discernendas censent, e quibus unum germanice *»congruente Sätze«*, alterum *»coincidente Sätze«* appellant. Quid inter eas enunciationes intersit, vide quæ de hac re docent Lattmann et Müller: Lateinische Schulgrammatik, Göttingen, 1872, p. 237.

causa esset, cur de ejusmodi exemplis copiosius dicerem, ea ita disponenda curavi, ut primum quæ tempora in relativo membro, deinde utrum eadem an alia tempora in demonstrativo membro adhiberentur spectarem. Tum quum ad exempla, quorum in enunciatione secundaria conjunctivus legebatur, enumeranda transirem, alia ratio adhibenda erat, quia in iis apte digerendis quæ qualisque esset temporum consecutio, mihi erat videndum. Quod ut efficerem, mihi ita faciendum putabam, ut primum quæ tempora in demonstrativo membro invenirentur, deinde quæ tempora relativi membri cum illis congruerent, quæ fortasse cum illis discreparent ostenderem, ex quo facillime intelligi poterat, quibus in exemplis regulæ, quæ sunt de consecutione temporum, servarentur, in quibus negligerentur. Postremo quibus correlativis, quæ vocantur, adverbiis conjunctiones comparativæ responderent, quum ostendere vellem, aliud fundamentum ac principium divisionis adhibendum erat. Quamobrem quum exempla aliis locis alia ratione disponenda esse putarem, factum est, ut nonnumquam de eodem exemplo binis locis singulatim dicerem.

QVAM.

I.

De vi ac natura *quam* particulæ.

Comparationem quandam per *quam* particulam duabus rationibus fieri posse facile intelligitur. Primum quidem *quam* particula post comparativum ita usurpatur, ut singulas res ejusdem generis inter se comparari indicet, quæ comparatio duobus modis exprimi potest. Nam res comparata aut post comparativum in ablativo ponitur omissa *quam* particula aut si *quam* particula usurpatur, in eodem casu ponitur atque ea res, quacum comparatur, qui usus quam frequens quamque vulgatus sit, quum nemo non cognitum habeat, illa exempla pretereo, præsertim quum ad id, quod mihi proposui tractandum, non pertineant. Deinde duæ enunciationes, quæ inter se comparantur, per *quam* particulam conjunguntur, e quibus una est enunciatio primaria, altera autem enunciatio comparativa per *quam* particulam elata. Cujus usus duæ notiones possunt discerni. Una enim est significatio, quum *quam* particula usurpatur post adjectiva et adverbia in comparativo posita vel alia vocabula, quæ vim habent comparativam, quo usu *quam* svetice *än* interpretamur. Altera autem est notio, quum *quam* particula respondet correlativis, quæ vocantur, adverbiis, qualia sunt *tam*, *tantum*, quo usu *quam* svetice *som* interpretamur.

II.

De *quam* particula post comparativum posita.

Ut per *quam* particulam singulas res inter se comparari significatur, ita etiam enunciationes per eam comparari possunt. Quo usu *quam* particula et cum indicativo et cum conjunctivo conjungitur.

A) De *quam* particula cum indicativo conjuncta.

a) In utroque membro legitur indicativus præsentis: Eun. 527 *Thais, quam ego sum, maiusculast* [1]). Heaut. 659 *plus spei video quam volo.* Phorm. 787 *ac pol minus queo viri culpa, quam me dignumst.* ibid. 807 sq. *at ita me servet Juppiter ut propior*

[1]) Versuum numeros desumpsi ex editione Fleckeisenii, Leipzig 1871.

illi, quam ego sum ac tu, homo nemost. Adelph. 834 *attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.* Deinde in priore membro invenitur conjunctivus præsentis vel imperfecti: Heaut. 681 *dedo patri me nunciam ut frugalior sim quam volt.* Adelph. 39 *parare quod sit carius quam ipse est sibi.* Phorm. 11 *minus multo audacter quam nunc lædit, læderet.* Tum in priore membro usurpatur futurum Phorm. 438 *si tu illam attigeris secus quam dignumst liberam, dicam tibi inpingam grandem.* ibid. 584 *si spreverit me, plus quam opus est scito sciet.* Post in priore membro adhibetur indicativus perfecti Phorm. 348 *enumquam quoiquam contumeliosius audistis factam iniuriam quam hæc est mihi.*

b) In relativo membro inveniuntur tempora præterita.

α) In utroque membro legitur indicativus perfecti: Adelph. 211 *numquam vidi iniquius certationem comparatam quam hæc hodie inter nos fuit.* ibid. 295 *e re nata melius fieri haud potuit quam factumst.* In demonstrativo membro verbum omittitur Eun. 1027 *qui minus quam Hercules servivit Omphalæ?,* cujus exempli in priore membro verbum omissum mente addendum est, ut sit *et ego serviam Thaidi.*

β) In relativo membro usurpatur indicativus imperfecti Phorm 797 *pæne plus quam sat erat,* cujus exempli in priore membro verbum *(dixi)* subauditur.

Adn. 1. Iis in exemplis, quæ allata sunt, *quam* particula ad adjectiva vel adverbia in comparativo posita refertur excepto uno loco (Phorm. 438), ubi legitur *secus* adverbium, in quo tamen vis quædam comparativa inesse videtur.

Adn. 2. Comparativa vis autem etiam in *præter* particula inesse videtur, quæ vocula *quam* conjunctioni nonnullis locis respondet. Primum quidem duæ enunciationes per *præter quam* particulas conjunguntur uno loco Heaut. 59 *quod mihi videre præter ætatem tuam facere et præter quam res te adhortatur tua,* cujus usus exemplum Plautinum Wagner [1]) affert Pers. 366 *quæ præter sapiet quam placet parentibus* [1]). Deinde singula vocabula, non enunciationes, per *præter quam* particulas conjunguntur duobus locis Andr. 752 *verbum si mihi unum præter quam quod te rogo — faxis cave.* Eun. 77 *neque præter quam quas ipse amor molestias habet addas.* Postremo *præter quam* voculis additur *quod* conjunctio, ita ut *præter quam quod* particulæ quasi in unam locutionem coalescere videantur, quam svetice *utom det att* interpretamur, quæ locutio in tmesi, quæ vocatur, uno loco invenitur Heaut. 399 *nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere quos cepi leves, præter quam tui carendum quod erat,* in quo exemplo locutio illa *(præter quam quod)* idem significat atque *nisi quod,* quæ locutio apud solutæ orationis scriptores nonnumquam invenitur.

B) De *quam* particula cum conjunctivo sociata. Quo usu quum *quam* particula cum conjunctivo sociatur, regulæ, quæ sunt de consecutione temporum, semper fere servantur ita

---

[1]) W. Wagner: P. Terenti Hauton Timorumenos, Berlin, 1872, p. 33.

ut præsentia et futura tempora prioris membri sequatur in altero membro conjunctivus præsentis vel perfecti, tempora præterita autem sequatur conjunctivus imperfecti vel plusquamperfecti.

a) In priore membro usurpantur tempora præsentia vel futura, in posteriore autem membro legitur conjunctivus præsentis.

α) In priore membro invenitur præsens: Heaut. 1010 *immo scis potius, quam quidem redeat de integro hæc oratio*, in quo exemplo *potius quam* voculis vis quodammodò augeri videtur addita *quidem* particula. ibid. 928 *immo abeat potius malo quovis gentium quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem* Hec. 729 *videndumst ne minus propter iram hinc impetrem quam possiem.*

β) In priore membro legitur futurum: Andr. 396 *inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.* ibid. 173 *verum tamen potius quam te inimicum habeam, faciam, ut jusseris.* Adelph. 497 *denique animam relinquam potius quam illas deseram.* A quo usu non multum abesse videtur ea dicendi ratio, quum in priore membro usurpatur imperativus aut conjunctivus optativus vel potentialis, in quibus verbi formis inest significatio temporis futuri. Primum quidem in priore membro invenitur imperativus Phorm. 407 *verum tamen potius quam litis secter aut quam te audiam — abduce hanc.* Adelph. 240 *potius quam venias in periclum — dividuom face.* Deinde in priore membro ursurpatur conjunctivus optativus uno loco Adelph. 248 *potius quam litis sequar, meum mihi reddatur.* Postremo uno loco invenitur conjunctivus potentialis Hec. 424 *denique hercle aufugerim potius quam redeam, si eo mihi redeundum sciam.*

b) In priore membro usurpantur tempora præterita, in altero membro invenitur conjunctivus imperfecti.

α) In priore membro invenitur perfectum historicum: Andr. 797 *quæ sese inhonestæ optavit parere hic divitias potius quam in patria honeste pauper viveret.* Heaut. 443 *primum olim potius quam paterere filium commetare ad mulierculam — proterruisti hinc.*

β) In priore membro legitur conjunctivus imperfecti: Adelph. 107 sq. *et illum tu tuom, si esses homo, sineres nunc facere — potius quam — alieniore ætate post faceret tamen.* Hec. 532 sq. *adeon pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire — potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta*, in quo exemplo duæ res dignæ esse videntur, quas observemus. Primum quidem verbum *(nupta esset)* pro imperfecto conjugationis periphrasticæ accipiendum est, id quod Thomas intellexit, quum *nupta esset* gallice vertit »restât mariée« [1]). Deinde illud quidem vel maxime observandum est, quod infinitivum enunciationis primariæ *(esse)*, quæ verbi forma hoc loco pro *es*, non pro *eras*,

---

[1]) Paul Thomas: P. Terenti Afri Hecyra, Paris 1887.

accipienda est, in enunciatione secundaria sequitur conjunctivus imperfecti *(præoptares)*, id quod ab usitata de temporum consecutione regula abhorrere videtur.

Adn. 1. De iis exemplis, quæ allata sunt, pauca addam. Uno autem loco *quam* particula ad *minus* adverbium refertur Hec. 729 *videndumst ne minus — impetrem quam possiem*, quo in exemplo conjunctivus per modi attractionem, quam vocant, adhiberi videtur. In ceteris autem exemplis, in quibus enunciationes per *potius quam* particulas efferuntur, qua dicendi ratione alteram rem præferri, alteram postponi indicatur, alia esse videtur causa conjunctivi. Nam si quis illas enunciationes perlegerit, reperiet quæ in iis enunciata sint, ficta et a veritate remota esse, ita ut per eas indicetur aliquid, quod non fiat aut fieri non possit. Quod quale sit, ea præcipue exempla docent, quorum in priore membro legitur perfectum historicum, ut Andr. 797 *quæ sese inhoneste optavit parere hic ditias potius quam in patria honeste pauper viveret*, cujus exempli vis atque sententia fortasse explicari potest hoc modo: *quæ sese inhoneste optavit parere hic ditias, nam in patria honeste pauper vivere noluit.* Ex quo facile intelligitur in enunciatione per *quam* particulam elata negativam vim inesse. Quæ quum ita sint, satis causæ esse videtur, cur conjunctivus his in exemplis adhibeatur. De quo usu Madvig hæc docet [1]: Wenn *ante, citius, prius quam* gebraucht wird, um das Unmögliche oder das um jeden Preis Abzuwehrende zu bezeichnen, so folgt der Conjunctiv (da die Handlung als nicht geschehend gedacht wird). Ebenso nach *potius quam*.

Adn. 2. In uno autem exemplo conjunctivus duabus rationibus explicari posse videtur Heaut. 928 *immo abeat potius malo quovis gentium quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem*, ubi conjunctivus *(redigat)* aut ab locutione illa *(potius quam)* aut ab conjunctione *(ut)*, quæ mente addenda est, pendere videtur, quum verbum *(malo)* cum conjunctivo conjungi soleat conjunctione *ut* omissa. Hoc autem loco quum pro locutione illa *(potius quam)* nonnumquam *potius quam ut* usurpari posse notissimum sit, non alienum esse videtur animadvertere illius locutionis *(potius quam ut)* apud Terentium nullum inveniri exemplum.

Adn. 3. Quum *quam* particula ad comparativum refertur, interdum fit, ut vis illius comparativi augeri videatur addita alia vocula, quæ comparativam habet significationem, cujus usus duo inveniuntur exempla Heaut. 928 *immo abeat potius malo quovis gentium quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem*, in quo exemplo comparativa notio, quæ in verbo *(malo)* inest, augetur adverbio *potius* addito. Hec. 532 sq. *adeon pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire — potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta*, in quo exemplo *potius* adverbium usurpatur post verbum *(præoptares)*, in quo comparativa notio inesse videtur.

---

[1]) Madvig, Lateinische Sprachlehre, Braunschweig, 1844, p. 322.

Adn. 4. Interdum *quam* vocula cum comparativo, cui quædam negationis particula additur, conjuncta ante enunciationem conditionalem ponitur, cujus usus unum exstat exemplum Eun. 61 sq. *incerta hæc si tu postules ratione certa facere, nilo plus agas, quam si des operam ut cum ratione insanias.*

III.

De *tam* — *quam* particulis.

Ad exempla transeo, in quibus *tam* adverbium *quam* particulæ respondet, quo usu *quam* germanice *auf gleiche Weise wie,* svetice *såsom* interpretamur, qua significatione particula semper fere cum indicativo conjungitur.

a) In utroque membro legitur indicativus præsentis: Adelph. 501 sq. *quam vos facillume agitis, quam estis maxume potentes dites fortunati nobiles, tam maxume vos æquo animo æqua noscere oportet,* in quo exemplo quum *quam facillume* vocabula relativi membri respondeant *tam maxume* vocabulis demonstrativi membri, non alienum esse videtur hoc loco admonere eam comparationem, quæ per *quam facillume* — *tam maxume* particulas efficitur, etiam per *quo facilius* — *eo magis* voculas exprimi pose, quamquam illa comparatio plus ponderis quam hæc habere videtur. In priore autem membro invenitur indicativus futuri uno loco Adelph. 849 *tam excoctam reddam atque atram quam carbost.*

b) In utroque membro usurpatur indicativus futuri Heaut. 997 *nam quam maxume huic vana hæc suspitio erit, tam facillume patris pacem in leges conficiet suas,* in quo exemplo *quam maxume* vocabula relativi membri respondent *tam facillume* vocabulis demonstrativi membri, quæ comparatio quæ qualisque sit, jam supra dixi. In priore autem membro invenitur conjunctivus optativus, in quo inest vis quædam futuri temporis Eun. 210 *utinam tam aliquid invenire facile possis, Phædria, quam hoc peribit.*

Adn. 1. E quibus exemplis jam dixi duo præ ceteris observanda esse (Adelph. 501, Heaut. 997), quorum in utroque membro *quam* et *tam* particulis additur superlativus. A quo usu transitus fit ad eam dicendi rationem, quum *tam* vocabulo demonstrativi membri omisso enunciatio comparativa per *quam* particulam superlativo additam effertur. Cujus usus unum exstat exemplum Eun. 74 *nisi ut te redimas captum quam queas minumo,* in quo exemplo conjunctivus per modi attractionem, quam vocant, adhiberi videtur. Qualibus in locutionibus verbo *possum* vel *queo* omisso *quam* particulam solam superlativo addi solere nemo non cognitum habet. Qualia exempla, quia non ita multa apud Terentium inveniuntur, hoc loco afferam: *quam primum* Phorm. 285, Hec. 324, Andr. 351, Adelph. 282, ibid 516; *quam maxume* Hec. 51, Adelph. 926, Heaut. 50; *quam plurimum*: Adelph 813, ibid. 868; *quam plurimis* Eun. 2; *quam deterrumum* Andr. 385; *quam minumo* Hec. 69.

Adn. 2. Exemplum invenitur, cujus in priore membro *tantum* adverbium respondet *quam* particulæ, Hec. 416 *non hercle verbis, Parmeno, dici potest tantum, quam re ipsa navigare incommodumst,* ubi inusitata comparatio, quæ per *tantum* — *quam* particulas hoc loco expressa est, quomodo orta sit, recte Thomas docet, quum dicit: »L'irrégularité dans les expressions corrélatives tient à ce que l'auteur met en rapport un verbe *(dici)* avec un adjectif *(incommodum)*». Uno autem loco adverbio demonstrativo omisso *quam* particula sola ponitur, ita ut eandem fere significationem habere videatur atque *quantum* adverbium Hec. 634 *dum ne redducam, turbent porro quam velint,* cujus exempli in utroque membro invenitur conjunctivus concessivus.

ATQVE.

Pro *atque* particula etiam *ac* usurpari inter omnes constat, quæ particulæ inter se ita distinguuntur, ut *ac* numquam nisi ante consonantem, *atque* semper fere ante vocalem aut ante vocabula ponatur, quæ ab *h* consonante incipiunt. Quæ particulæ quamquam proprio sensu conjunctiones copulativæ esse solent, tamen interdum etiam vim quandam comparativam habere videntur, ita ut duæ enunciationes, quæ inter se comparantur, per eas conjungantur. Quo usu verbum enunciationis per *atque* vel *ac* particulas elatæ semper in indicativo ponitur. Cujus usus duo genera discerni possunt. Nam particulæ illæ ad vocabula referri possunt, quæ quandam aut similitudinis aut dissimilitudinis vim habent.

1) Primum de iis exemplis dicam, in quibus *atque* particula ad vocabula refertur, quæ notionem dissimilitudinis habent, qualia sunt *alius, aliter, aliorsum, secus.* In quibus vocabulis quum vis quædam comparativa inesse videatur, *atque* particulam svetice *än* interpretamur.

a) In utroque membro legitur indicativus præsentis: Heaut. 264 *aliter tuom amorem atque est accipis.* Phorm. 684 *aliud mihi respondes ac rogo.* In priore autem membro invenitur indicativus perfecti Adelph. 597 *numquam te aliter atque es in animum induxi meum.*

b) In relativo membro inveniuntur tempora præterita.

α) In utroque membro legitur indicativus imperfecti Hec. 375 *neque voce alia ac res monebat ipsa poterat conqueri.*

β) In relativo membro invenitur indicativus perfecti. In priore autem membro usurpatur conjunctivus perfecti Eun. 81 *vereor ne illud gravius Phædria tulerit neve aliorsum atque ego feci acceperit.* In priore vero membro invenitur infinitivus perfecti Hec. 365 sq.

alio suspicans morbo me visurum adfectam ac sensi esse uxorem. Uno autem loco in priore membro legitur indicativus præsentis Phorm. 530 *ego isti nilo sum aliter ac fui.*

Adn. 1. Quæ hujus particulæ notio quomodo orta sit, ex eo exemplo apparet, quod invenitur Hec. 844 *timeo ne aliud credam atque aliud nunties*, in quo exemplo quum *atque* particulam esse conjunctionem copulativam pro certo affirmari possit, inde concludere licet eam dicendi rationem, quæ in exemplo invenitur, primariam ac genuinam esse, a qua quasi a fonte illa notio, qua *atque* svetice *än* interpretamur, ita quidem repetita esse videtur, ut quum *aliud* vocula posterioris membri omitteretur, *atque* e copulativa particula in conjunctionem comparativam transiret, id quod Thomas docet, quum hoc loco dicit: »On voit par cette construction comment *atque (ac)* a pu servir à exprimer la comparaison après *alius*: le second *alius* a été peu à peu éliminé. Si Térence avait supprimé *aliud* dans le second membre, il aurrait dû dire *atque nuntias.*»

Adn. 2. In exemplis supra allatis illa dissimilitudinis vocabula non solum comparativam, sed etiam, ut ita dicam, negativam vim habere videntur, ita ut pæne loco negationis cujusdam sint, ex quo fit, ut illis vocabulis quod in priore membro enunciatum est, non fieri aut non fieri posse significetur, id quod ex exemplo apparet, quod invenitur Heaut. 264 *aliter tuom amorem atque est accipis,* cujus exempli vis atque sententia fortasse aliter potest explicari hoc modo: *tuom amorem non ita accipis ut est.* Quod quale sit quum cogitamus, fortasse exemplum explicari potest, quod invenitur Andr. 841 *et nescio qui tibi sum oblitus hodie ac volui dicere,* in quo exemplo illa dissimilitudinis vocula omissa notio negationis in verbo *(oblitus sum)* inesse videtur, id quod Spengel nos docet, quum dicit: *ac* ist hier ähnlich gesetzt wie nach *alius* und den Begriffen der Ähnlichkeit und Verschiedenheit, denn das Vergessen ist ein Andershandeln als man sich vorgenommen hatte. Eigentlich: und ich wollte es doch sagen = während ich es doch sagen wollte [1]). Cujus exempli in utroque membro legitur indicativus perfecti.

Adn. 3. Restat vero unum exemplum, in quo *atque* conjunctio ad comparativum particulæ negationis additum refertur Andr. 698 *non Apollinis magis verum atque hoc responsumst,* cujus usus exempla Plautina Spengel affert Merc. 897 *amicior mihi nullus vivit atque is est.* Cas. V 1, 7 *nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta atque ut hæc est fabre facta a nobis*, quorum exemplorum eadem est ratio, ita ut *atque* conjunctio ad comparativum particulæ negationis additum referatur.

Adn. 4. Ut *quam* particulam nonnumquam ad *secus* adverbium comparativæ notionis referri jam supra dixi, ita etiam *ac* particula ad *secus* adverbium referri potest. Quo usu *ac* vocula adverbio illo *(secus)* cuidam negationis particulæ addito interdum ante enunciatio-

---

[1]) A. Spengel: Die Comödien des P. Terentius, Erstes Bändchen, Andria, Berlin 1875, p. 126.

nem conditionalem ponitur, cujus usus unum exstat exemplum Hec. 278 *nam numquam secus habui illam ac si ex me esset nata.*

2) Deinde de iis exemplis dicam, in quibus *atque* particula ad vocabula refertur, quæ significationem similitudinis habent, qualia sunt *idem, similis, æque, pariter, talis,* quo usu *atque* svetice *som* interpretamur.

a) In relativo membro legitur indicativus præsentis. In priore autem membro usurpatur indicativus imperfecti Phorm. 581 *te mihi fidelem esse æque atque egomet sum mihi scibam.* In priore vero membro invenitur futurum Phorm. 1028 *faxo tali eum mactatum atque hic est infortunio.*

b) In relativo membro legitur indicativus perfecti. In priore autem membro invenitur præsens aut in indicativo aut in conjunctivo positum Heaut. 265 *nam et vitast eadem et animus te erga idem ac fuit.* Phorm. 786 *pariter nunc opera me adjuvas, ac re dudum opitulata es.* ibid 31 *ne simili utamur fortuna atque usi sumus.*

Adn. Restat vero unum exemplum, cujus interpretatio dubia esse videtur, Phorm. 368 *videas te atque illum ut narras.* In quo exemplo Dziatzko *ut* vocabulo deleto *atque* particulam quadam similitudinis vocula prioris membri omissa pro conjunctione comparativa accipiendam censet, ita ut illud exemplum hoc modo interpretari videatur: »mögest du dich doch sehen, wie du jenen (gesehen zu haben) erzählst», quam interpretationem approbandam existimat, quum docet: »Das vergleichende *atque* kann auch dann stehn, wenn im vorausgehenden Satze das die Ähnlichkeit bezeichnende Wort nur aus dem Zusammenhang zu ergänzen ist»[1]), cujus usus unum exemplum Plautinum affert Bacch. V, 549 *quem esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi.* Jam supra allatum est exemplum ejusdem generis Andr. 841 *et nescio qui tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere,* in quo exemplo particula, ad quam *atque* conjunctio refertur, omissa est. Aliam autem interpretationem Sloman affert, qui *atque* pro conjunctione copulativa accipiendum existimans exemplum hoc modo vertit: »compare yourself and him according to your account, i. e. what a contrast between such an excellant man as you describe and a rascal like yourself»[2]). Utramque vero interpretationem, quum optimum præbeat sensum, mihi afferendam esse putavi neque facile quis dixerit, utra sit præferenda.

---

[1]) C. Dziatzko: Ausgewählte Komödien des P. Terentius Afer, erstes Bändchen, Phormio, Leipzig 1874, p. 56.

[2]) A. Sloman: P. Terenti Phormio, Oxford 1887, p. 136.

QVANTVM.

Jam vero ad notiones *quantum* particulæ describendas transeo. Quæ particula quamquam proprio sensu est pronominale, quod dicitur, in nominativo vel accusativo positum, tamen nonnumquam in adverbium relativum transire videtur ejusque habere notionem, ita ut ad comparationem indicandam usurpetur. Quo usu *quantum* particula quum pæne ad notionem conjunctionis comparativæ accedere videatur, de notionibus ejus nunc pauca dicam, quæ quidem, si recte judico, duæ ferme esse videntur.

1) Primum una est significatio, quum *quantum* germanice *so viel als* interpretamur. Qua notione *quantum* particulæ respondet *tantum* adverbium demonstrativi membri, cujus usus unum est exemplum Heaut. 13 *si hic actor tantum poterit a facundia, quantum ille potuit cogitare commode,* cujus exempli hæc duo correlativa, quæ vocantur, adverbia ad dissimilia vocabula referri videntur, quum *tantum* adverbium demonstrativi membri ad *poterit* verbum, *quantum* particula autem ad *cogitare* verbum, vel si potius vis ad *commode* adverbium referatur. Nonnumquam autem *tantum* adverbio omisso *quantum* particula sola ponitur, ut Andr. 710 *eho tu inpudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo quantum huic promoveo nuptias,* ubi *quantum* West »*in so far as*» interpretatur [1]), cujus exempli in utroque membro legitur indicativus præsentis.

Quo usu ea præcipue exempla observanda esse videntur, quorum in enunciatione per *quantum* elata verba *queo* et *possum* leguntur.

a) Primum exempla, in quibus *quantum* particula cum *queo* verbo conjungitur, hæc afferuntur: Eun. 844 *ubi vidi, ego me in pedes quantum queo in angiportum quoddam desertum,* cujus exempli in demonstrativo membro *conjicio* verbum mente addendum est. Andr. 577 *et is mihi suadet nuptias quantum queam ut maturem,* in quo exemplo conjunctivus *(queam)* propter modi attractionem, quam vocant, usurpatur.

b) Deinde *quantum* particula ad *possum* verbum refertur atque id quidem semper ita, ut numquam *quantum* particula nisi cum tertia persona singularis in indicativo præsentis posita *(potest)* conjuncta inveniatur, ex quo exsistit *quantum potest* locutio. Quæ locutio quomodo cum iis, quæ præcedunt vel sequuntur, cohæreat quum spectaveris, in ea quandam celeritatis notionem inesse invenies, ita ut *quantum potest* latine *quam celerrime fieri potest,* germanice *so schnell es möglich ist* interpretari possimus. Quæ locutio quum usurpatur, verbum demonstrativi membri aut in imperativo aut in gerundivo ponitur.

---

[1]) A. West: P. Terenti Afri Andria et Heauton Timorumenos, New-York 1888 p. 181.

α) Primum in demonstrativo membro legitur imperativus Andr. 861 ***sublimen intro hunc rape quantum potest.*** Eun. 377 *orna me, abduc, duc, quantum potest.* Phorm 674 ***quantum potest me certiorem — face.*** Adelph. 350 ***tu quantum potest abi atque — enarrato.*** ibid 908 ***atque hanc in horto maceriam jube dirui quantum potest.*** Uno autem loco demonstrativum membrum omissum est Adelph. 700 *jam quantum potest,* ubi *arcesse* vel tale quid mente addendum est.

β) Deinde verbum demonstrativi membri in gerundivo ponitur Phorm. 897 ***quantum potest nunc conveniundus Phormiost.*** Adelph. 743 *quæ quantum potest aliquo abiciendast, si non pretio, gratiis.*

Adn. Ejusmodi autem in exemplis, qualia nunc sunt allata, nonnumquam pro *quantum* vocabulo usurpatur *quod* vocula eadem notione, ita ut *quod* germanice *so viel als* interpretemur. Quo usu *quod* particula aut cum verbis *possum* et *queo* conjungitur aut in locutione ejusdem significationis ponitur, qualis invenitur *quod in te est,* quæ locutio idem significare videtur atque *quod potes.*

a) In relativo membro adhibetur indicativus præsentis.

α) In utroque membro legitur indicativus præsentis Adelph. 423 ***et quod queo, conservis ad eundem istunc præcipio modum.*** Uno autem loco *quod* particula cum conjunctivo propter modi attractionem, quam vocant, conjungitur Hec. 760 ***nam meritus de me est quod queam illi ut commodem.***

β) In demonstrativo membro invenitur imperativus præsentis Heaut. 845 ***serva, quod in te est, filium et me et familiam.*** Adelph. 511 ***et istam quod potes fac consolere.***

b) In relativo membro legitur indicativus futuri.

α) In utroque membro usurpatur indicativus futuri Hec. 447 *quod potero faciam, tamen ut pietatem colam.* Heaut. 416 *nam quod potero adiutabo senem.* ibid. 1038 ***ego quod potero sedulo,*** cujus exempli in demonstrativo membro *prohibebo* vel tale quid cogitatione addendum est. Huc fortasse referendum est exemplum, quod invenitur Phorm. 1050 *at ego ecastor posthac tibi, quod potero, quod voles faciamque et dicam,* ubi *quod potero* Sloman *»as far as I possibly can«* interpretatur [1]).

β) In demonstrativo membro adhibetur imperativus Eun. 214 sq. *munus nostrum ornato verbis quod poteris: et illum æmulum quod poteris ab ea pellito.*

c) In utroque membro usurpatur indicativus perfecti Adelph. 692 *prodidisti et te et illam miseram et gnatum, quod quidem in te fuit.* Phorm. 478 *ego quod potui porro,* cujus exempli in demonstrativo membro *feci* mente addendum est.

2) Deinde altera est notio, quum *quantum* germanice *insofern, inwieweit* interpretamur.

---

[1]) Ita Sloman; Fleckeisen autem hoc loco legendum censet: *at ego ecastor posthac tibi quod potero et quæ voles faciamque et dicam.* Quod si probandum est, *quod* vocula est pronomen relativum.

Quo usu *quantum* particula, quamquam vim comparativam servatam vere dicitur, tamen pæne ad eam significationem accedere videtur, quam habent conjunctiones conditionales. Ita vero quum *quantum* particula usurpatur, in enunciatione per eam elata aut verba *sentiendi*, qualia sunt *audio*, *intellego*, *video*, *suspicor*, aut locutiones ejusdem generis leguntur.

a) In relativo membro adhibetur indicativus præsentis.

α) In utroque membro usurpatur indicativus præsentis Andr. 756 *ab Andriast hæc, quantum intellego.*

β) In demonstrativo membro invenitur indicativus futuri Heaut. 984 *et quantum ego intellegere possum — non aberit longius.*

γ) In demonstrativo membro legitur indicativus perfecti Andr. 423 *erus, quantum audio, uxore excidit.* Eun. 142 *sed ego quantum suspicor, ad virginem animum adiecit.* Heaut 265 *nam et vitast eadem et animus te erga idem ac fuit, quantum ex ipsa re conjecturam fecimus.* ibid. 682 *cognitast, quantum audio huius verba.*

b) In relativo membro indicativus perfecti, in demonstrativo autem membro indicativus præsentis invenitur Andr. 206 *enim vero, Dave, nil locist segnitiæ neque socordiæ, quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.* Eun. 615 *ita me di ament, quantum ego illum vidi, non nil timeo misera.*

Adn. Etiam in ejusmodi exemplis, qualia nunc attuli, pro *quantum* vocabulo usurpatur *quod* particula eadem notione, ita ut *quod* germanice *insofern* interpretemur, qua notione *quod* particula et ipsa ad verba *sentiendi* refertur. Tamen inter illas particulas id interest, quod *quantum* vocula cum indicativo, *quod* particula cum conjunctivo conjungitur, cujus usus hæc exempla inveniuntur Adelph. 641 *non equidem istas, quod sciam,* cujus exempli in demonstrativo membro *pepuli* mente addendum est. Hec. 863 *nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram,* ubi *quod nossem* idem atque *quod scirem* significare videtur. Aliam autem interpretationem affert Thomas, quum *quod nossem* vertit »*assez pour la connaître*«, quam interpretationem probandam censet, quum addit: »*la proposition relative marque la conséquence*«. Quæ interpretatio quamquam optimum præbet sensum, tamen num *quod* particula eam notionem habere possit quum dubium esse videatur, illam alteram interpretationem præferendam censeo. Huc autem fortasse, quamquam *quod* particula cum verbo *sentiendi* non conjungitur, referendum est exemplum, quod invenitur Adelph. 519 *quod cum salute eius fiat, ita se defatigarit velim,* ubi *quod cum salute eius fiat* Plessis »*pourvu qu'il s'en retire sain et sauf*« interpretatur [1]), quam locutionem Dziatzko cum usitata illa formula *(quod bonum felix faustum sit)* conferendam censet [2]).

---

[1]) F. Plessis: P. Terenti Afri Adelphoe, Paris, 1884, p. 71.

[2]) Carl Dziatzko: Ausgewählte Komödien des P. Terentius Afer, Zweites Bändchen: Adelphoe, Leipzig 1881, p. 58.

UT.

I.

De vi ac natura *ut* particulæ.

Antequam ad singula exempla enumeranda transeo, quæ qualesque sint hujus particulæ notiones pauca dicam, quarum quatuor genera discernenda esse videntur.

1) Primum quidem quum duæ enunciationes per *ut* particulam inter se conjunguntur, significatur rem aliquam prioris membri cum re alterius membri inter se comparari, ita ut utraque res eodem modo esse vel fieri indicetur. Qua de notione Menge hæc docet [1]: »Die Partikeln *wie* — *so*, *ut* — *ita*, welche gewöhnlich bestimmte Facta oder thatsächliche (reale) Erscheinungen mit einander vergleichen, stehen mit dem Indicativ». Cujus notionis multa exempla infra afferentur.

2) Deinde quum quis formulas quasdam obtestationum, quibus aliquid verum esse demonstratur, componere vult, *ita* adverbium in demonstrativo membro, *ut* conjunctio in relativo membro usurpatur, de quo usu infra separatim dicetur.

3) Tum duæ enunciationes per *ut* particulam nonnumquam ita inter se conjunguntur, ut quendam causarum nexum inter eas interesse significetur, qua notione *ut* particula pæne idem significare videtur atque *quod* conjunctio.

4) Postremo duæ enunciationes interdum per *ut* particulam ita inter se conjunguntur, ut rem prioris membri rei alterius membri oppositam esse indicetur. Quo usu in demonstrativo membro sæpe usurpatur *ita* adverbium, quum *ut* — *ita* particulas germanice *Zwar* — *aber* interpretamur, cujus usus tamen apud Terentium nullum invenitur exemplum.

Quum jam ad primam hujus particulæ notionem describendam transeo, primum afferentur exempla, in quibus nullum adverbium *ut* conjunctioni respondet, deinde exempla sequentur, in quibus inveniuntur correlativa, quæ vocantur, adverbia, qualia sunt *ita*, *sic*, alia.

---

[1]) H. Menge: Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik, Wolfenbüttel, 1885, p. 227.

II.

Nullum adverbium *ut* particulæ respondet.

1) In relativo membro legitur indicativus præsentis.

a) In utroque membro invenitur indicativus præsentis: Andr. 421 *facis, ut te decet.* Eun. 361 *estne, ut fertur fama.* Heaut. 62 *annos sexaginta natus es aut plus eo, ut conjicio.* ibid. 649 *ut stultæ et miseræ omnes sumus religiosæ — de digito anulum detraho.* ibid. 1054 *facis ut te decet.* Phorm. 401 *quoius de stultitia dici ut dignumst non potest.* ibid. 555 *salvos es, ut opinor.* ibid. 700 *ducendast uxor, ut ais.* Hec. 264 *quæ dicis omnia esse ut dicis animum induco.* ibid. 780 *sin, ut est, ob eam rem iratus gnatust,* ubi Thomas *ut est* vertit »comme il l'est en réalité, comme c'est le cas».

Adn. Exempla inveniuntur, quorum in priore membro verbum omissum cogitatione addendum est, ut Phorm. 611 *multa advenienti, ut fit, nova hic compluria.* Hec. 272 *nunc quidem, ut videtur.* Adelph. 480 *præterea, ut captus est servorum, non malus neque iners.* Eun. 607 *sane hercle ut dicis.* In colloquiis autem serendis responsum non raro per enunciationem comparativam redditur, quæ ipsa per se ponitur priore membro omisso, quale responsum est *ut lubet,* quod invenitur Heaut. 739. ibid. 780. ibid. 934. Adelph. 246.

b) In priore membro adhibetur indicativus futuri: Heaut. 868 *ne tu propediem, ut istam rem video, istius obsaturabere.* ibid. 870 *sed hæc uti sunt, cautim et paulatim dabis.* Phorm. 483 *nam eius per unam, ut audio, aut vivam aut moriar sententiam.* ibid. 795 *faciam, ut jubes.* Hec. 603 *non tute incommodam rem, ut quæquest, in animum induces pati.* ibid. 598 *sic optume, ut ego opinor, omnis causas præcidam omnibus.* ibid. 719 *faciam, ut mones.* Adelph. 79 *credo jam, ut solet, jurgabit.* ibid. 587 *ego te exercebo hodie, ut dignus es.* Andr. 179 *neque, ut opinor, sine tuo magno malo,* cujus exempli in priore membro verbum *(faciet)* cogitatione addendum est. Heaut. 219 *non ut meust,* quæ enunciatio ad verba, quæ præcedunt *(ille facili me utetur patre)* refertur.

Adn. In priore autem membro legitur conjunctivus præsentis: Hec. 511 *postremo inter se transigant ipsi, ut lubet.* Phorm. 347 *postilla jam, ut lubet, ludas licet.* Andr. 623 *ut de te sumam supplicium, ut volo.* Phorm. 1020 *quam ob rem te oro, ut alia facta tua sunt, æquo animo hoc feras.* Adelph. 491 *hæc primum ut fiant deos quæso ut nobis decet.* Andr. 794 sq. *paulum inter esse censes, ex animo omnia, ut fert natura, facias an de industria.* In priore autem membro usurpatur imperativus præsentis: Andr. 310 *age, age ut lubet.* Heaut. 80 *tibi ut opus factost, face.* ibid. 212 *ut tempus est diei, vide sis nequo hinc abeas longius.* Phorm. 784 *age dum, ut soles, — fac illa ut placetur nobis.*

c) In priore membro usurpatur indicativus perfecti: Hec. 158 *sed ut fit, — maligna — facta ilicost.* Andr. 445 *cavit — ut virum fortem decet.* Eun. 98 *credo, ut fit, misera præ amore exclusisti hunc foras.* Enunciatio autem comparativa ad infinitivum perfecti refertur Heaut. 528 *scis esse factum ut dico.*

Adn. Nonnumquam duæ inter se dissimiles constructiones in unam confusæ esse videntur, cujus usus exemplum invenitur Adelph. 648 *ut opinor has non nosse te,* ubi Boué hæc docet [1]: »*Ut opinor*, suivi de l'infinitif, est une anacoluthe du langage populaire. La phrase régulière du latin savant serait: *Ut opinor, eas non nosti,* ou bien: *opinor eas non nosse te*». Quæ constructionum confusio invenitur etiam Phorm. 480 *ut aibat de eius consilio sese velle facere quod ad hanc rem attinet,* ubi Sloman hæc docet: »The construction is a mixture of *ut aibat, de eius consilio volo facere,* and *aibat de eius consilio sese velle facere*».

2) In relativo membro usurpatur futurum.

a) In utroque membro legitur futurum primum: Andr. 898 *ut potero, feram.* Phorm. 1043 *faciet ut voles.* Hec. 764 *nostra utere amicitia, ut voles.*

b) In demonstrativo membro invenitur futurum primum, in relativo autem membro futurum exactum. Eun. 174 *faciam, ut jusseris.*

c) In demonstrativo membro legitur futurum exactum, in relativo autem membro futurum primum: Andr. 997 *quom ad eum te adplicaveris, studium exinde ut erit, tute existumaveris.*

3) In relativo membro inveniuntur tempora præterita.

a) In utroque membro usurpatur perfectum historicum: Heaut. 99 sq. *cœpi non humanitus neque ut animum decuit — tractare.* Phorm. 752 *ut potui nuptum virginem locavi huic adulescenti.* Nonnumquam autem verbum prioris membri aut in infinitivo aut in conjunctivo ponitur Andr. 996 *me reperisse, ut habitus antehac fui tibi, eundem tuom animum.* Phorm. 537 *qui me dudum, ut dixti, adiuerit comiter.*

Adn. 1. In demonstrativo membro legitur imperativus præsentis Adelph. 706 *tu fac ut dixi.* In demonstrativo membro invenitur futurum primum Heaut. 402 *immo ut patrem tuom vidi esse habitum, diu etiam turbas dabit.* ibid. 598 *dicam, verum ut aliud ex alio incidit.* Adelph. 513 *atque ut res gestast narrabo ordine,* in quo exemplo Boué *ut* particulam pro adverbio interrogativo accipiendam censet. Quamquam apud comicos indicativum in interrogationibus obliquis interdum usurpari non ignoro, tamen hoc exemplo collato non solum cum illo, quod jam (Heaut. 598) allatum est, sed etiam cum eo, quod invenitur Heaut. 702 *(aperte ita ut res sese habet narrato)* particulam illam hoc loco pro conjunctione comparativa, non pro adverbio interrogativo accipiendam esse persuasum habeo, præsertim quum

---

[1]) A. Boué, Térence, Les Adelphes, Paris, 1887, p. 56.

inter illa exempla (Adelph. 513, Heaut. 702) nihil interesse videatur, nisi quod in hoc usurpatur correlativum, quod vocatur, adverbium, in illo autem omittitur.

Adn. 2. In demonstrativo membro invenitur indicativus præsentis Adelph. 521 *nam hunc diem misere nimis cupio, ut cœpi, perpetuom in lætitia degere.* Andr. 418 *hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.*

b) In relativo membro legitur indicativus imperfecti: Phorm. 758 *offendi adveniens quocum volebam et ut volebam conlocatam gnatam.* ibid. 480 *ut aibat de eius consilio sese velle facere quod ad hanc rem attinet,* in quo exemplo duas constructiones in unam confusas esse jam supra dixi.

c) In relativo membro usurpatur indicativus plusquamperfecti: Heaut. 500 *dicam, ut dixeram operam daturum me, hodie non posse eis dare.* ibid. 1053 *video non licere ut cœperam hoc pertendere,* in quibus exemplis enunciatio per *ut* particulam elata ad infinitivum refertur.

III.

De *ita* — *ut* particulis.

1) In relativo membro legitur indicativus præsentis.

a) In utroque membro invenitur indicativus præsentis: Eun. 600 *perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.* Hec. 380 *omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.* ibid. 604 *si cetera ita sunt ut vis itaque ut esse ego illa existumo.* Adelph. 298 *ita pol est ut dicis.* ibid. 399 *ut quisque suom volt esse, itast.* ibid. 139 *quom ita ut volo est.* Heaut. 295 sq. *si hæc sunt vera, ita uti credo.* Enunciatio autem comparativa ad infinitivum præsentis refertur: Heaut. 490 *videre vera atque ita uti res est dicere.* ibid. 666 *non licet hominem esse sæpe ita ut volt.*

Adn. In priore membro verbum omissum mente addendum est Eun. 748 *educta ita uti teque illaque dignumst.* Phorm. 396 *ita ut dicis.* Nonnumquam autem verbum in utroque membro omittitur, ut Heaut. 524 *ita non ut olim, sed uti nunc.* ibid. 288 *tum ornatam ita uti quæ ornantur sibi.*

b) In priore membro adhibetur indicativus futuri: Heaut. 949 *hic ita ut liberos est æquom dictis confutabitur.* Hec. 612 *ita ut jubes faciam.* Enunciatio comparativa ad infinitivum futuri refertur Adelph. 826 *quæ ego inesse in illis video, ut confidam fore ita, ut volumus.*

Adn. In priore membro legitur conjunctivus præsentis: Adelph. 431 *ut homost ita morem geras.* A quo usu non multum abesse videtur ea dicendi ratio, quum in priore membro usurpatur imperativus: Andr. 521 *tu tamen idem has nuptias perge facere ita ut facis.*

Eun. 814 *ita ut fortis decet milites domi focique fac vicissim ut memineris.* Adelph. 755 *atque ita ut hodie decet hilarum ac lubentem fac te.* Heaut. 702 *aperte ita ut res sese habet narrato.*

c) In priore membro legitur indicativus perfecti: Andr. 77 *ita ut ingeniumst omnium hominum ab labore proclive ad lubidinem accepit condicionem.* ibid. 80 *forte, ita ut fit, filium perduxere illuc.* Eun. 630 *cœpi egomet — ita ut fit — aliam rem ex alia cogitare.* In demonstrativo membro invenitur infinitivus historicus Hec. 164 *hæc, ita uti liberali esse ingenio decet — iniurias viri omnis ferre.*

2) Exempla, quorum in relativo membro legitur futurum, nulla inveniuntur.

3) In relativo membro usurpantur tempora præterita.

a) In utroque membro invenitur indicativus perfecti: Eun. 831 *ita ut tu justi, soli creditast.* Phorm. 908 *nam omnis posthabui mihi res, ita uti par fuit.* Adelph. 787 *parata a nobis sunt, ita ut dixi.*

Adn. 1. In priore membro usurpatur futurum aut primum aut exactum: Eun. 18 *si perget lædere ita ut facere instituit.* Phorm. 776 *ita faciam, ut frater censuit.* ibid. 888 *nam idem argentum, ita ut datumst, ingratiis ei datum erit.* Relativum membrum ad enunciationem finalem refertur: Eun. 364 *ut mancupia hæc, ita uti jussit frater, ducam ad Thaidem.* In priore autem membro legitur imperativus præsentis Adelph. 635 *ita uti dixi — facite.* Eun. 207 *fac ita ut jussi deducantur isti.*

Adn. 2. In priore membro legitur indicativus præsentis: Andr. 303 *ut animus in spe atque in timore usque antehac fuit, ita — lassus cura confectus stupet.* ibid. 459 *ita pol quidem res est, ut tu dixisti.* ibid. 949 *de uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes.* Eun. 750 *et habetur et referetur, Thais, tibi ita ut merita's gratia.* Phorm. 169 *quod habes, ita ut voluisti, uxorem.* ibid. 896 *estne ita, ut dixi, liberalis.* Adelph. 894 *quoi dominus curæst, ita ut tibi sensi.* In priore membro verbum omittitur Adelph. 161 *at ita, ut usquam fuit fide quisquam.* In priore autem membro legitur conjunctivus aut præsentis aut imperfecti Phorm. 281 *ubi tute verbum non respondeas, ita ut ille fecit.* ibid. 155 *quod ni fuissem incogitans, ita expectarem, ut par fuit.*

b) In relativo membro usurpatur indicativus plusquamperfecti. Primum quidem in priore membro invenitur conjunctivus præsentis: Andr. 542 *atque ita uti nuptiæ futuræ fuerant, fiant.* Eun. 869 *ut eam non possim suis ita ut æquom fuerat atque ut studui tradere.* Deinde in priore membro legitur indicativus perfecti Phorm. 650 *a principio amici filiam, ita ut æquom fuerat, volui uxorem ducere.*

IV.

Conjunctioni *ut* respondent adverbia *sic, item* alia.

1) Primum quidem *sic* — *ut* particulæ inter se respondent.

a) In utroque membro legitur indicativus præsentis: Phorm. 479 *sic habent principia sese ut dico.* Hec. 379 *profecto hoc sic est, ut puto.* In demonstrativo autem membro legitur conjunctivus præsentis. Adelph. 398 *sic siet modo ut nunc est.* In demonstrativo vero membro verbum omittitur Andr. 804 *sic ut quimus, aiunt, quando ut volumus non licet.*

b) In relativo membro usurpatur indicativus plusquamperfecti Phorm. 813 *sic pol commodius in omnis arbitror quam ut cœperas, manere hanc.*

2) Deinde *item* — *ut* particulæ inter se respondent. In utroque membro invenitur indicativus præsentis: Heaut. 417 sq. *item ut filium meum amico atque æquali suo video inservire et socium esse in negotiis, nos quoque senes est æquom senibus obsequi.* Uno autem loco relativum membrum ad enunciationem conditionalem refertur Heaut. 1035 *si ex capite sis meo natus, item ut aiunt Minervam esse ex Jove.*

3) Deinceps *itidem* — *ut* particulæ inter se respondent.

a) In relativo membro legitur indicativus præsentis, in priore autem membro conjunctivus aut præsentis aut imperfecti Eun. 382 sq. *an id flagitiumst, si — eas itidem fallam, ut ab illis fallimur.* ibid. 93 *ut aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet.* In relativo autem membro verbum omittitur Hec. 312 *itidem illæ mulieres sunt ferme ut pueri levi sententia.* ibid. 866 *placet non fieri hoc itidem ut in comœdiis.*

b) In relativo membro usurpatur indicativus perfecti.

α) Primum quidem in utroque membro legitur indicativus perfecti Hec. 251 *ut veni, itidem incertum amisti,* in qua comparatione quæ qualisque sit breviloquentia, Thomas docet, quum illud exemplum hoc modo explicat: »*amisti me itidem incertum ut incertus veni (ut incertus eram, quum veni.)*» Uno autem loco in relativo membro verbum omittitur Phorm. 476 *tum Phormio itidem in hac re ut in aliis strenuom hominem præbuit.*

β) Deinde in priore membro legitur indicativus futuri Heaut. 698 *celabitur, itidem ut celata adhuc est.* Uno autem loco relativum membrum ad enunciationem refertur, quæ per *quin* particulam effertur, Hec. 150 *quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis.*

Adn. Unum autem exemplum invenitur, in quo *ut* — *eadem* particulæ inter se respondent Hec. 544 *sed ut olim te ostendisti, eadem esse nil cessavisti usque adhuc,* in quo exemplo duo digna esse videntur, quæ observemus, primum quod in utroque membro idem

tempus (perfectum indicativi) usurpatur, deinde quod duæ enunciationes præter consuetudinem per *ut* — *eadem* voculas inter se comparantur, quam comparationem aut per *ut* — *item* particulas aut per *qualem* — *eadem* voculas exprimi posse nemo non ignorat. Ex quo exemplo facile intelligitur *ut* particulam nonnumquam eadem uti notione atque *qualis*, cujus usus mox infra duo alia exempla afferentur. Quamquam igitur nusquam apud Terentium illæ particulæ *(ut — eadem)* nisi hoc loco inter se respondent, tamen Fleckeisen illam comparationem *(ut — eundem)* per conjecturam uno loco legendam censet Andr. 996 *me repperisse, ut habitus antehac fui tibi, eundem tuom animum.*

4) Post *proinde* — *ut* particulæ inter se respondent. In utroque membro legitur indicativus futuri Hec. 218 *ideo quia uti domi vos mi eritis, proinde ego ero fama foris,* quod exemplum Thomas recte interpretatur hoc modo: »Suivant que vous vous conduisez bien ou mal chez vous, je suis dans le monde en bon ou en mauvais renom. *Ut, proinde, ita, sic etc.* jouent très souvent le rôle de prédicats avec *esse: ut eritis, proinde ero* = *quales eritis, talis ero*». In quo exemplo igitur *ut* particula pæne idem significare videtur atque *qualis,* quæ notio etiam in eo exemplo inesse videtur, quod invenitur Heaut. 402 *immo ut patrem tuom vidi esse habitum, diu etiam turbas dabit,* in quo exemplo Wagner *ut* latine *qualem* interpretatur. Eadem vero notione *ut* particulam etiam Hec. 544 uti jam supra dixi.

5) Tum *perinde* — *ut* particulæ inter se respondent. In utroque membro legitur indicativus præsentis Heaut. 195 *atque hæc perinde sunt ut illiust animus, qui ea possidet,* qualia exempla, in quibus *perinde* — *ut* particulæ inter se respondent, Wagner affert Cic. Off. III, 33, 21. Sall. Jug. 4.

6) Postremo *adeo* — *ut* particulæ inter se respondent. In relativo membro invenitur indicativus præsentis. Andr. 245 *adeon hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum.*

Adn. Ad exempla transeo, in quibus *ut* particula cum adverbiis demonstrativis, qualia sunt *ita, item, itidem,* conjuncta ante conjunctiones conditionales vel temporales ponitur. Primum *itidem ut* particulæ ante *si* conjunctionem ponuntur, ita ut enunciatio per *itidem ut* — *si* particulas efferatur Phorm. 408 sq. *potius — quam te audiam itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet dotis dare, abduce hanc,* in qua dicendi ratione breviloquentia quædam inesse videtur, quæ nescio an hoc modo explicari possit: *itidem ut dare velim, cognata si sit.* Deinde eodem fere modo *ita ut* particulæ cum *si* conjunctione conjunguntur, quo fit, ut enunciatio per *ita ut* — *si* particulas efferatur Eun. 116 *cœpit studiose omnia docere, educere ita uti si esset filia,* id quod breviter dictum nescio an planius explicari possit hoc modo: *ita uti doceret, si esset filia.* Postremo *item ut* particulæ cum *ubi* conjunctione conjunguntur, ita ut enunciatio per *item ut* — *ubi* voculas efferatur Phorm. 413

item ut meretricem ubi abusus sis, mercedem dare lex jubet ei atque amittere. Ea vero breviloquentia, de qua nunc dicimus, cum ea conferri potest, quæ invenitur in exemplo supra allato Hec. 278 *nam numquam secus habui illam ac si ex me esset nata,* in quo exemplo *numquam secus ac si* particulæ prorsus idem significare videntur, quod in his exemplis per *itidem ut — si* vel *ita ut — si* particulas indicatur.

Adn. 2. Alia vero breviloquentia inest in exemplo, quod invenitur Hec. 114 *hanc Bacchidem amabat, ut quom maxume, tum Pamphilus,* cujus exempli quæ qualisque sit breviloquentia, Thomas recte explicat, quum vertit: »il aimait comme (il aimait) quand (il aimait) le plus», c'est à dire: »il aimait plus que jamais».

V.

De obtestationibus per *ita — (ut)* elatis.

Nunc ad secundam hujus particulæ notionem tractandam transeo, qua *ut* conjunctio cum *ita* adverbio conjuncta in obtestationibus usurpatur, quibus aliquid verum esse affirmatur. Quarum obtestationum duo genera discernenda esse videntur. Primum duæ ejusmodi enunciationes per *ita — ut* particulas inter se ita conjunguntur, ut alterum membrum sit enunciatio primaria, alterum sit enunciatio secundaria. Quam dicendi rationem, quum duæ enunciationes altera ab altera pendent, grammatici græce appellare solent *hypotaxin.* Deinde in ejusmodi obtestationibus *ut* particula omitti potest, ex quo fit, ut utraque enunciatio ipsa per se consistere, non altera ab altera pendere videatur. Quam dicendi rationem, quum duæ enunciationes ejusdem momenti ac ponderis altera juxta alteram ponuntur, grammatici græce appellare solent *parataxin.*

A. De enunciationibus per *hypotaxin (ita — ut)* conjunctis.

Quo usu quum duæ enunciationes per *ita — ut* particulas conjunguntur, in relativo membro semper indicativus, in demonstrativo autem membro aut conjunctivus præsentis aut indicativus futuri adhibetur.

a) In demonstrativo membro invenitur conjunctivus præsentis.

α) In relativo membro legitur indicativus præsentis: Heaut. 686 *atque ita me di ament, ut ego nunc non tam meapte causa lætor quam illius.* Phorm. 807 *at ita me servet Juppiter, ut proprior illi — homo nemost.* Adelph. 681 sq. *ita velim me promerentem ames — ut — id mihi vementer dolet et me tui pudet.*

β) In relativo membro usurpatur indicativus perfecti: Heaut. 1030 *ita mihi atque huic sis superstes, ut tu ex me atque hoc natus est.* Hec. 579 *verum ita me di ament itaque*

obtingant ex te, quæ exopto mihi, ut numquam sciens commerui, in quo exemplo duæ enunciationes per *ita* elatæ inveniuntur.

Adn. Quam dicendi rationem etiam per *si* conjunctionem exprimi posse inter omnes constat, de quo usu Madvig (p. 310) hæc docet: »Besonders zu merken ist der Gebrauch eines indicativischen Bedingungssatzes in Verbindung mit einem Wunsch oder Fluch bei Versicherungen und Eiden: *Ne vivam, si scio* (Cic. ad. Att. IV, 16).

b) In demonstrativo membro adhibetur indicativus futuri. Primum in relativo membro legitur indicativus præsentis Heaut. 749 *ita me di amabunt, ut nunc Menedemi vicem miseret me.* Deinde in relativo membro invenitur indicativus perfecti: Heaut. 463 *sic me di amabunt, ut nunc tuarum miseritumst — fortunarum*, quod exemplum præ ceteris dignum est, quod observemus, quia nusquam in exemplis, quibus obtestationes exprimuntur, nisi in hoc uno *sic* pro *ita* adhibetur.

B. De enunciationibus per *parataxin (ita)* conjunctis.

Nonnumquam duæ illæ enunciationes, quibus obtestationes efferuntur, omissa *ut* particula per *parataxin*, quæ vocatur, altera juxta alteram ponuntur, ita ut utrumque membrum sit enunciatio primaria. Cujus usus duas rationes puto discernendas esse.

1) Demonstrativum membrum per *ita* particulam elatum ante enunciationem, in qua *ut* particula omittitur, collocatur. Quibus in enunciationibus eadem tempora usurpantur atque in iis, quæ per *ita — ut* particulas conjunguntur, ita ut in priore membro aut conjunctivus præsentis aut indicativus futuri, in altero membro semper indicativus adhibeatur.

a) In priore membro legitur conjunctivus præsentis, in altero autem membro indicativus præsentis: Eun. 474 *ita me di ament, honestust.* ibid 615 *ita me di ament, quantum ego illum vidi, non nil timeo misera.* Phorm. 165 *ita me di bene ament — jam depecisci morte cupio.* Hec. 258 *at ita me di ament, haud tibi hoc concedo.* ibid. 276 *nam ita me di ament, quod me accusat nunc vir sum extra noxiam.* Andr. 947 *ita me di ament, credo.* Adelph 749 *ita me di ament, ut video tuam ego ineptiam, facturum credo ut habeas quicum cantites.*

b) In priore membro usurpatur indicativus futuri, cujus usus unum invenitur exemplum Hec. 106 *ita me di amabunt, haud propterea te rogo*, ubi Thomas hæc docet: »lorsqu'on prend les dieux à témoin de la vérité d'une assertion, on met *ita* en tête de la phrase contenant le souhait que l'on forme et qui est exprimé par le subjonctif—optatif ou par le futur. Cet *ita* annonce une restriction, qui tantôt est énoncée dans une proposition avec *ut*, tantôt est sous-entendue et dont le sens est: »comme il est vrai que», »comme je dis la vérité».

2) Enunciatio per *ita* adverbium elata interdum non ante alteram posita, sed in eam inserta invenitur. Quo usu in membro per *ita* particulam elato semper conjunctivus præsentis, in altero autem membro sæpe indicativus aut præsentis aut perfecti usurpatur.

a) Primum indicativus præsentis legitur his in exemplis: Eun. 882 *te quoque jam, Thais, ita me di ament, amo.* Heaut. 308 *præ gaudio, ita me di ament, ubi sim nescio.* ibid. 383 *minumeque, ita me di ament, miror si te sibi quisque expetit.* Hec. 206 *nescio, ita me di ament, mi Laches, itaque una inter nos agere ætatem liceat,* in quo exemplo duæ enunciationes per *ita* elatæ inveniuntur. ibid 233 *gaudeo, ita me di ament, gnati causa.* ibid. 642 *bene, ita me di ament, nuntias.* Phorm. 954 *monstri, ita me di ament, simile.* Nonnumquam autem altera enunciatio omittitur, ut Hec. 864 *ita me di ament, Pamphile,* ubi *verum dico* vel tale quid cogitatione addendum est.

b) Deinde indicativus perfecti usurpatur his in exemplis: Heaut. 569 *ut equidem, ita me di ament, metui.* Phorm. 883 *bene, ita me di ament, factum,* quod exemplum invenitur etiam Eun. 1037. Uno autem loco legitur conjunctivus imperfecti Heaut. 953 *non, ita me di ament, auderet facere hæc viduæ mulieri.*

Adn. Quibus in exemplis ubique usurpatur locutio illa *(ita me di ament),* quæ quasi in quandam obtestationis formulam transisse videtur. Quæ formula, si omnia exempla numeraveris, invenitur uno et viginti his locis: Andr. 947. Eun. 474, 615, 882, 1037. Heaut. 308, 383, 569, 686, 953. Phorm. 165, 883, 954. Hec. 206, 233, 258, 276, 579, 642, 864. Adelph. 749. Alia vero locutio *(ita me di amabunt)* duobus locis invenitur Heaut. 749. Hec. 106. Alia autem locutio *(sic me di amabunt)* uno loco invenitur Heaut. 463.

VI.

De causali notione *ut* particulæ.

Nunc de tertia hujus particulæ significatione pauca dicam, qua inter duas enunciationes per *ut* particulam conjunctas quendam causarum nexum intercedere significatur, quo usu *ut* particula nescio an pæne idem indicare videatur atque *quod* conjunctio. De qua notione Menge (p. 227) hæc docet: »*Ut est, erat, fuit* mit folgendem Prädicatsnomen dient zum Ausdrucke des Zustandes, in welchem eine Person oder Sache beim Eintritte einer Handlung sich gerade befindet oder befand, oder auch um eine Begründung des im Hauptsatze Ausgesagten beizufügen, fast in dem Sinne von quod (weil)». Ita vero usurpata *ut* particula semper fere cum indicativo præsentis conjungitur.

a) In utroque membro usurpatur indicativus præsentis: Eun. 525 *eam sese intendit esse, utist audacia*, in quo exemplo verba *(utist audacia)* eandem fere habent significationem atque: *qua est audacia*, quibus in verbis causalis quædam notio inesse videtur. Eadem autem significatio inest etiam in hoc exemplo Adelph. 389 *credo, ut est dementia.* Causalem vero notionem *ut* particula habere videtur etiam his in exemplis: Eun. 1074 *tu hercle cum illa, Phædria, ut lubenter vivis — quod des paulumst.* Heaut. 168 *sed ut diei tempus est, tempust monere.* Phorm. 820 *lætus sum ut meæ res sese habent*, ubi Sloman hæc docet: »*ut* is usually said to be here equivalent to *ut ut;* but it makes good sense = »considering that.» ibid. 774 *haud scio hercle, ut homost, an mutet animum*, ubi Sloman eodem fere modo *ut* particulam interpretatur »seeing that». Huc fortasse referendum est exemplum, quod invenitur Adelph. 350 *cedo ut melius dicis*, ubi *dicis* pro *dicas* Dziatzko et Plessis legendum censent, quod exemplum Plessis vertit: »je cède du moment que tu parles mieux que moi». Quæ interpretatio si probatur, *ut* particula temporali utitur notione, neque tamen quidquam prohibere videtur, quominus exemplis, quæ jam sunt allata vel infra afferentur, collatis *ut* particulam hoc loco causalem vim habere existimemus. Uno autem loco demonstrativum membrum omissum est Phorm. 55 *præsertim ut nunc sunt mores*, ubi *te gratiam habere æquomst* mente addendum esse docet Dziatzko, in quo exemplo vis causalis *ut* particulæ adverbio *(præsertim)* addito aucta esse videtur.

b) In demonstrativo membro adhibetur futurum: Phorm. 638 *ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba hodie inter vos*, ubi Dziatzko hæc docet: »ausgehend von der Vergleichung erhält *ut* namentlich in der Umgangs-sprache eine bestätigende Bedeutung». Heaut. 552 *si quid huius simile forte aliquando evenerit, ut sunt humana*, cujus exempli verba *(ut sunt humana)* eandem fere vim habere videntur atque ea quæ supra Phorm. 774 *(ut homost)* allata sunt. Qua notione quum *ut* particula utitur, ea præcipue exempla, in quibus *ut* vocula cum verbo *videndi* conjuncta invenitur, digna esse videntur, quæ observemus, qualia hæc sunt: Andr. 738 *ut tu plus vides, manebo*, in quo exemplo *ut vides* Spengel *ut qui videas* interpretatur. Heaut. 868 *ne tu propediem, ut istam rem video, istius obsaturabere.* Adelph. 749 *ut video tuam ego ineptiam, facturum credo, ut habeas quicum cantites*, quod exemplum Plessis (p. 95) vertit: »d'après ce que je vois de ta sottise, je crois que tu vas le faire pour avoir avec qui chanter», in quo exemplo enunciatio per *ut* particulam elata ad infinitivum futuri referenda esse videtur.

Adn. Reliquum est, ut de vocabulis cum *ut* particula compositis pauca addam, qualia sunt *præut, utut, utquomque.*

a) Primum quidem ante *ut* particulam additur *præ*, ita ut existat *præut* nova vocula, cujus notio ab significatione simplicis *ut* particulæ nulla alia re distinguitur, nisi quod ea quodammodo aucta esse videtur, ita ut *præut* germanice *im Vergleich mit dem dass* inter-

pretemur, cujus usus unum invenitur exemplum Eun. 299 *qui si occeperit, ludum jocumque dicet fuisse illum alterum, prœut huius rabies quœ dabit,* in quo exemplo quædam breviloquentia inesse videtur, ita ut *prœut huius rabies quœ dabit* breviter dictum sit pro *prœut illa sunt, quœ huius rabies dabit.*

b) Deinde per *ut* particulam componuntur *utut, utquomque* adverbia relativa, quorum vis ea est, ut omnia ejus generis, quod describendum est, complectantur, ideoque latius patet quam simplicis *ut* adverbii, quam ob rem *utut, utquomque* germanice *wie auch nur immer* interpretamur.

α) Exempla afferuntur, in quibus *ut ut* adverbium invenitur. Primum in relativo membro legitur indicativus præsentis Phorm. 531 *sed ut ut hœc sunt, tamen hoc faciam.* Deinde in relativo membro adhibetur indicativus imperfecti Heaut. 200 *ut ut erat, mansum tamen oportuit.* Phorm. 468 *nam ut ut erant alia, illi certe quœ nunc tibi domist consuleres.* Tum in relativo membro usurpatur indicativus perfecti Adelph. 248 *ut ut hœc sunt acta, — meum mihi reddatur.* Postremo in relativo membro invenitur indicativus plusquamperfecti Adelph. 629 *non me hanc rem patri, ut ut erat gesta, indicasse.*

β) Exempla sequuntur, in quibus legitur *utquomque* adverbium: Andr. 735 *tu ut subservias orationi, ut quomque opus sit, verbis vide.* Heaut. 578 *sed nostrumst intellegere, ut quomque atque ubi quomque opus sit obsequi.* In priore autem exemplo conjunctivus per modi attractionem, quam vocant ponitur. In altero vero exemplo conjunctivus usurpatur, quia enunciatio per *ut quomque* adverbium elata ab locutione (*nostrum est)* cum infinitivo conjuncta pendet.

QVASI.

Nunc de notionibus *quasi* particulæ dicendum erit, qua aliquid fictum atque a veritate remotum esse indicatur, ita ut aut non fieri aut fieri non posse videatur. Quo usu *quasi* particulam germanice *als wenn*, svetice *liksom* interpretamur. Cujus usus tria genera discernenda esse videntur.

I.

De enunciationibus per *quasi* particulam conjunctis.

Primum quidem duæ enunciationes, quæ constant ex enunciatione primaria et secundaria, ita inter se per *quasi* particulam conjunguntur, ut non utraque per se consistat, sed altera ab altera pendeat, ex quo fit, ut duæ illæ enunciationes quasi in unam coalescant. Quo usu quum *quasi* particula cum conjunctivo conjungatur, regulæ,

quæ sunt de consecutione temporum, semper fere servantur, ita ut præsentia et futura enunciationis primariæ sequatur in altero membro conjunctivus præsentis vel perfecti, tempora autem præterita sequatur conjunctivus imperfecti vel plusquamperfecti. Neque tamen negligendum est perfectum logicum, quod vocant, quum ex parte ad præsens quoque tempus spectet, etiam cum conjunctivo præsentis conjungi posse. Quare si perfectum sequitur præsens conjunctivi, plerumque significatur actionem enunciationis secundariæ etiam ad præsens tempus spectare.

a) In enunciatione primaria legitur indicativus præsentis.

α) In enunciatione secundaria usurpatur conjunctivus præsentis: Heaut. 65 *proinde quasi nemo siet, ita tute attente illorum officia fungere.* Andr. 548 *id oro te in commune ut consulas, quasi illa tua sit Pamphilique ego sim pater*[1]). Uno autem loco membrum per *quasi* particulam elatum ad infinitivum in exclamatione positum refertur Eun. 209 *Ah rogitare, quasi difficile sit.*

β) In enunciatione secundaria adhibetur conjunctivus perfecti: Hec. 290 *jam nunc times, quasi numquam affueris, numquam tute pepereris* Phorm. 388 *quasi non noris, temptatim advenis.*

b) In enunciatione primaria invenitur futurum, in altero autem membro conjunctivus præsentis Eun. 461 *adibo atque adsimulabo quasi nunc exeam.*

Adn. Iis in exemplis, quæ allata sunt, quamquam regulas, quæ sunt de consecutione temporum, servatas esse facile intelligitur, tamen duo inveniuntur exempla, in quibus tempora non satis recte inter se concordare videntur. Unum autem exemplum legitur Heaut. 527 sq. *at quasi non ditiis abundet, gnatus eius profugit inopia,* in quo exemplo quum nonnulli interpretatores *profugit* pro perfecto historico accipiunt[2]), illa temporum consecutio, qua perfectum historicum enunciationis primariæ sequitur in altero membro conjunctivus præsentis, ab usitata regula, de qua supra dixi, abhorrere videtur. Neque tamen quidquam prohibere videtur, quominus *profugit* pro perfecto logico accipiamus, quæ interpretatio si probatur, in hoc exemplo nihil est, quod a vulgari dicendi ratione alienum sit. Alterum vero exemplum, in quo præsens enunciationis primariæ sequitur conjunctivus plusquamperfecti, invenitur Phorm. 382 *proinde expiscare, quasi non nosses,* de quo usu Menge (p. 227) hæc docet: ›Selten steht bei diesen Konjunktionen nach dem Präsens oder Futur der Konj. Imperf. und Plusquamperf., wenn etwas danach bestimmt wird, wie es in einem nicht stattfindenden Falle sein oder gewesen sein würde‹.

---

[1]) Hoc loco Spengel *quasi si* legendum censet, de quo usu, quum *quasi* particula ante alias conjunctiones ponitur, infra pauca dicentur.

[2]) Ita hoc exemplum Dziatzko accipiendum censet (Phorm. 382 pag. 57).

II.

De enunciationibus, quæ ab *quasi* incipiunt, per se positis.

Paulo aliter autem hæc particula usurpari videtur, quum enunciatio per eam elata non ab enunciatione primaria pendet, sed sola posita ipsa per se consistere videtur. Quæ dicendi ratio tum præcipue adhiberi solet, quum quis reprehendendi vel corrigendi causa aliquid per ironiam, quam vocant, ita dicit, ut cum quadam dissimulatione aliud dicat ac sentit. Cujus usus duo genera discerni possunt. Nam aut ante membrum per *quasi* particulam elatum ponitur enunciatio primaria aut plane omittitur. Neque tamen umquam enunciatio per *quasi* particulam elata ad primariam, si præcedit, refertur neque alterum membrum ab altero aptum est, sed utraque enunciatio ipsa per se ponitur. Omisso autem priore membro *quasi* particula in initio enunciationis ponitur, ita ut membrum per *quasi* elatum pæne vim ac naturam enunciationis primariæ habere videatur. In utroque vero dicendi ratione inest contractio quædam orationis, quæ qualis sit exempla infra ostendent.

a) Ante membrum per *quasi* elatum ponitur enunciatio primaria, sed utrumque membrum ipsum per se ponitur. Primum tria exempla afferam, quorum in enunciatione primaria verbum in imperativo ponitur Hec. 109 *Ah noli, Parmeno: quasi tu non multo malis narrare hoc mihi quam ego quæ percontor scire,* in quo exemplo quæ qualisque sit vis ac sententia enunciationis primariæ, recte docet Thomas, quum vertit: »Ah! ne parle pas ainsi, ne fais pas tant de difficultés«. Quæ quum ita sint, facile apparet has duas enunciationes inter se non ita conjungi, ut altera ab altera pendeat, sed utramque ipsam per se positam esse. Quare in posteriore membro inest breviloquentia quædam, ut *quasi* pro *ita dicis quasi, ita est quasi* positum esse videatur. Andr. 544 *Ah, ne me obsecra: quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.* Eun. 685 *tace obsecro: quasi vero paulum intersiet,* in quo exemplo observandum est enunciationem posteriorem ab *quasi vero* voculis incipere, ita ut *quasi* conjunctioni *vero* paticula affirmandi causa addita esse videatur, cujus usus apud Terentium hoc unum exemplum invenitur. Deinde duo exempla sunt, quorum in enunciatione primaria legitur indicativus præsentis vel perfecti: Heaut. 353 *ridiculumst te istuc me admonere, Clitipho: quasi istic mea res minor agatur quam tua.* Adelph. 223 *age novi tuom animum: quasi jam usquam tibi sint viginti minæ, dum huic obsequare,* quod exemplum Boué, itemque Plessis, interpretatur: »comme si vingt mines étaient quelque choses pour toi, quand il s'agit de l'obliger«. Aliam vero interpretationem affert Dziatzko, quum (p. 100) vertit: »(ich spreche so zu dir) wie wenn dir das Geld schon irgendwo aufgezählt wäre — so sicher ist es dir —, wenn du nur dem da willfahren wolltest«. Quarum interpretationum tamen nullam Dziatzko probandam censet, quare hoc loco *dum huic obnitare* legendum esse existimat.

b) Ad exempla transeo, in quibus priore membro omisso *quasi* particula in initio enunciationis ponitur, ita ut enunciatio per *quasi* elata non ab alia pendeat, sed ipsa per se consistere videatur. Qui usus in colloquiis serendis non raro invenitur ita, ut quum quis sermonem suam finiverit, alius pergat dicere per enunciationem, quæ ab *quasi* particula incipit. Cujus usus duo genera inveniuntur.

α) Primum quidem in colloquiis serendis quum quis aliquid dixit, alius per enunciationem respondet, quæ ab *quasi* particula incipit. In quo usu inest breviloquentia quædam, ita ut *quasi* pro *ita dicis quasi*, *ita est quasi* positum esse videatur. Exempla autem hæc sunt: Andr. 502 *Qui? quia te moram. — Quasi tu dicas factum id consilio meo.* ibid. 850 *Modo ego intro ivi. — Quasi ego quam dudum rogem.* ibid. 873 sq. *mitte male loqui. — Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet.* Duobus autem locis ante membrum per *quasi* elatum legitur substantivum vel adjectivum in vocativo positum Andr. 371 *nempe huic prorsus illam non dat. — Ridiculum caput, quasi necessus sit — te illam uxorem ducere.* Adelph. 270 sq. *ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum facere existumes. — Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos.*

β) Deinde in colloquiis serendis quum quis aliquid interrogavit, alius interrogationi respondet per enunciationem, quæ ab *quasi* particula incipit. Cujus usus duplex est ratio. Nam quum quis aliquid quæsivit, responsum dari potest aut ab eo, qui interrogavit, aut ab alio. Exempla autem illius generis hæc sunt: Andr. 499 *quid credas? quasi non tibi renuntiata sint hæc sic fore.* ibid. 890 *quid »mi pater?« quasi tu huius indigeas patris.* Heaut. 720 *metuis? quasi non ea potestas sit tua.* Exempla vero hujus generis sunt: Heaut. 587 *Deambulatum, quo? — Vah, quasi desit locus.* Adelph. 941 *age, quid siquid te maius oret? — Quasi non hoc sit maxumum.*

Adn. Quorum exemplorum in enunciationibus per *quasi* particulam elatis ubique conjunctivus præsentis invenitur exceptis duobus exemplis (Adelph. 271, Andr. 499), in quibus usurpatur conjunctivus perfecti.

III.

De *quasi* adverbio similitudinis.

Nunc de tertia hujus particulæ notione pauca dicam, quum *quasi* particula verbo, ad quod pertinet, omisso in adverbium similitudinis transiisse videtur. Cujus usus tria genera discernuntur.

a) Primum *quasi* particula, ut in enunciationibus per eam conjunctis ad comparationem indicandam adhibetur, ita etiam ea notione, de qua nunc dicitur, usurpatur, quum verbo,

ad quod pertinet, omisso ipsa per se posita vice adverbii fungitur, ita ut singula vocabula, non enunciationes, inter se per eam comparentur. Primum duo substantiva inter se comparantur his in exemplis: Heaut. 885 *gaudere adeo cœpit quasi qui cupiunt nuptias.* Adelph. 536 *homini ilico lacrumæ cadunt quasi puero gaudio.* Hoc loco non alienum erit exempla afferre, in quibus *quasi* particula ad similitudines afferendas usurpatur, cujus usus tria exempla inveniuntur: Phorm. 71 *abeuntes ambo hinc tum senes me filiis relinquont quasi magistrum.* Eun. 1024 *egomet meo indicio miser quasi sorex hodie perii.* Adelph. 534 *quom fervit maxume, tam placidum quasi ovem reddo.* Deinde *quasi* particula ante ablativum absolutum ponitur Adelph. 773 *in ipsa turba atque in peccato maxumo — potasti, scelus, quasi re bene gesta.* Post *quasi* particula ante locutiones, quæ loco adverbiorum sunt, usurpatur Eun. 840 *apud Antiphonem uterque, mater et pater, quasi dedita opera domi erant.* Andr. 417 *quasi de improviso respice ad eum.*

b) Deinde *quasi* particula nonnumquam ante singula vocabula audacius quam par est dicta eo consilio ponitur, ut vocabulis illis nimiam vim quodammodo demat, qua notione Georges [1]) *quasi* particulam germanice *gleichsam, eine Art von* interpretatur. Cujus usus unum exstat exemplum Andr. 44 *nam istæc commemoratio quasi exprobratiost immemori benefici.*

c) Post *quasi* particula ante numeralia ponitur, qua notione *quasi* germanice *beinahe, ungefähr* interpretamur. Cujus usus unum invenitur exemplum Heaut. 145 *mercedem quasi talenta ad quindecim coegi,* in quo exemplo primo aspectu tautologia, quæ vocatur, inesse videtur, quum *quasi* et *ad* particulæ apud numeralia positæ eandem fere vim habere videantur. Quæ dicendi ratio tamen non habet, quod offendat, si interpretatio probatur, quam West (p. 217) affert: *quasi* with numerals = »about». *ad* with numerals indicates an approach to the number stated, but something still below it. *quasi ad,* »somewhere near».

Adn. 1. Paucis in exemplis eodem fere modo, quo *ut* conjunctio usurpatur, *quasi* particula ante conjunctiones temporales ponitur, ita ut enunciationes per *quasi ubi* vel *quasi quom* particulas efferantur. Primum *quasi quom* particulæ inveniuntur Adelph. 739 *ita vitast hominum, quasi quom ludas tesseris.* Heaut. 318 *ita res est hæc nunc quasi quom,* ubi tamen enunciatio per aposiopesin, quam vocant, interrumpitur. Deinde *quasi ubi* particulæ usurpantur Eun. 406 *quasi ubi illam expueret miseriam ex animo.* Uno autem loco Spengel *quasi si* legendum censet Andr. 548 *quasi si illa tua sit Pamphilique ego sim pater,* quam conjecturam (quasi si) exemplo Plautino (Cas. prol. 46) collato accipiendam esse putat.

Adn. 2. Restat, ut de correlativis, quæ vocantur, adverbiis, quæ *quasi* particulæ nonnumquam respondent, pauca addam, qualia adverbia *proinde, ita, adeo, tam* inveniuntur. Primum *proinde* adverbium legitur Phorm. 382 *proinde expiscare, quasi non nosses.* Exem-

[1]) K. E. Georges: Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, Leipzig 1862, II, p. 1116.

plum autem, quod præ ceteris dignum esse videtur, quod observemus, invenitur Heaut. 65 *proinde quasi nemo siet, ita tute attente illorum officia fungere,* in quo exemplo duo adverbia *(proinde, ita)* particulæ respondent. Deinde *ita* adverbium duobus locis invenitur Heaut. 318 *ita res est hæc nunc quasi quom.* Adelph. 739 *ita vitast hominum, quasi quom ludas tesseris.* Tum *adeo* adverbium usurpatur Heaut. 885 *gaudeo adeo cœpit quasi qui cupiunt nuptias.* Postremo *tam* adverbium adhibetur Adelph. 534 *quom fervit maxume, tam placidum quasi ovem reddo,* in quo exemplo duo observanda esse videntur, primum quod *tam* adverbio *quasi* conjunctio respondet, quum aliis in exemplis *quam* conjunctio usurpatur, deinde quod *ovem* sustantivum per attractionem, quam vocant, in accusativo ponitur, quum substantivum illud in enunciatione per *quam* particulam elata in nominativo poni potest, ita ut exemplum illud hoc modo explicari possit: *tam placidum reddo, quam ovis est,* quod quale sit, Plessis recte videt, quum hæc docet: »remarquez *quasi* au lieu de *quam,* et l'accusatif *ovem* par attraction».

TAMQVAM.

Notissimum est *tam* et *quam* particulas ita conjungi posse, ut exsistat *tamquam* nova vocula, quæ et ipsa vice conjunctionis comparativæ fungitur, quum *tamquam* germanice *wie, gleichwie* interpretamur, cujus usus duo genera discerni possunt.

1) Una vero est notio, quum duæ enunciationes per *tamquam* particulam inter se comparantur, e quibus altera est enunciatio primaria, altera enunciatio secundaria per *tamquam* elata. Quæ comparatio duobus modis exprimi potest.

a) Primum quum duæ enunciationes per *tamquam* particulam inter se conjunguntur, aliquam rem prioris membri cum re alterius membri comparari significatur, ita ut utraque res eodem modo esse vel fieri indicetur. Qua notione *tamquam* cum indicativo conjungitur, de quo usu Madvig (p. 410) hæc docet: »Tamquam bezeichnet selten eine Vergleichung zweier Sachen, welche beide als stattfindend ausgesagt werden». Cujus usus unum invenitur exemplum Eun. 262 sq. *sectari jussi, si potis est, tamquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis vocabula, parasiti ita ut Gnathonici vocentur,* in quo exemplo *tamquam — ita* particulas inter se respondere observandum est.

b) Deinde *tamquam* particula in comparationibus describendis ita usurpatur, ut aliquid fictum atque a veritate remotum esse significet, qua notione *tamquam* cum conjunctivo conjungitur. Cujus usus exempla, quamquam apud solutæ orationis scriptores non raro inveniuntur, tamen apud Terentium nulla sunt.

2) Altera autem est notio, quum *tamquam* particula verbo, ad quod attinet, omisso in adverbium similitudinis transire videtur. Qua notione *tamquam* particula ante singula vocabula posita nonnumquam ad similitudines afferendas usurpatur, cujus usus duo exempla sunt Adelph. 414 *denique inspicere tamquam in speculum in vitas omnium jubeo.* ibid. 428 *postremo tamquam in speculum in patinas — inspicere jubeo.*